



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

De Sacramento Matrimonii, & primò de sponsalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

piè observent, junctisque precibus suffragium suum diligenter impendant.

§. 4.
*Formula litterarum testimonialium à
Parocho.*

Ego **N.** Pastor Ecclesiæ **S. N.** oppidi aut pagi **N.** hujus diœcesis Trevirensis, denuntiavi in Ecclesia mea inter missarum solennia, seu durante divino officio **N.** ex parochia mea, qui ad ordinem **N.** promoveri cupit, & postulat, & de natalibus, de vita & moribus ipsius certior fieri curavi, eumque idoneum esse existimo, quantum ex cognitis intelligere potui, qui ad prædictum Ordinem admittatur, fidemque facio, illum sæpius infra annum sacram confessionem, & communionem frequentare solitum esse, &c. In quorum fidem hoc testimonium meâ manu subscripsi, & sigillo Ecclesiæ meæ munivi. Datum &c.

Si verò aliquod impedimentum obesse videat, illud Episcopo ordinaturo significet.

DE SACRAMENTO MATRIMONII

Et primò de sponsalibus futuri conjugii.

§. 1.
Sponsalium Obligatio.

Quotidiana docet experientia, matrimonia temerè, & præproperè contracta infinitas parere difficultates, & infelices sæpè exitus sortiri, idcirco rectè ordinatum est, ut sponsalia (quæ futuri matrimonii promissionem, & reciprocam utriusque obli-

obligationem continent) præmittantur. Quæ quamvis per copulam carnalem, ut olim, non transeant in matrimonium, certum tamen est, ea sive publicè, sive privatim absque præsentia parochi & testium, contracta valida esse, nec sine peccato deficientibus causis in jure expressis posse violari; quod Pastores, Concionatores, & Confessarii, suis auditoribus sæpius explicare, & seriò inculcare non intermittant, ne, quod multi leviter spondent, faciliùs retractent, & sic plurimorum indè emergentium malorum auctores existant.

§. 2.

Sponsalia ubi, & an consciis parentibus contrahenda?

UT sponsalia majore cum deliberatione & judicio celebrentur, monendum, ne in cauponis & tabernis contrahantur, curetque parochus, ut parentum consensus accedat: si justis ex causis parentes consensum deneget, non temerè procedat, sed liberos moneat, ne invitis ipsis & insciis, vel tutoribus, & amicis sponsalia ineant. Admoneant pariter parentes, tutores vel amici, ne austeritate nimia liberorum, vel sibi commissorum connubia tardiùs æquo differant: ut incontinentiæ, vel fugæ, vel inconsultæ rei aggrediendæ poenitentiam non præbeant occasionem: hortetur similiter parentes, ne invitas proles ad matrimonium adigant, infelicissimos siquidem coacta matrimonia producunt effectus, & ut de plena libertate contrahere volentium constet, eandem coram Pastore declarent.

§. 3.

Sponsi examinandi, & instruendi.

Priusquam sponsalia contrahantur, Pastor inquireat, an desponsandi noverint fidei rudimenta, an sint confirmati, an ullius sibi conscii sint impedimenti canonici? quod si rudimenta fidei ignorare deprehendat, antequam matrimonio jungat, faciat ut orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ addiscant. Instruet etiam, quâ religione, & fide matrimonium inire debeant: biduo, aut pridie ante solennizationem seu copulationem peccata confiteantur, & Sacramentum Eucharistiæ piè accedant: intra quadraginta dies ad matrimonii solennizationem procedant; interim ab omni carnali commercio plurimum caveant. Juxta Concil. Trident. ante sub eodem tecto non habitent, aliàs eos ad benedictionem matrimonii non admittendos, nisi ab invicem recesserint, & dignè pro scandalo Ecclesiæ dato satisfecerint. Cavebit autem parochus, ne desponsandi contrahant verbis præsentis temporis, sed futuri, iisdemque claris & perspicuis.

R

§. 4.

§. 4.

Praxis contrahendi sponsalia.

Parochus rogatus ut sponsalibus assistat (sive in domo pastorali comparentibus ibidem sponfis, eorumque parentibus, consanguineis aut amicis quibusdam; ut expensis aliàs in refectioem amicorum eorum faciendis parcatur; sive in domo parentum, tutorum aut consanguineorum) præviè observatis, quæ s. superioribus adnotata habentur, germanicè vel gallicè pro loci istius idiomate, interroget primò à sponso:

N. Habt ihr einig Gelübdt der Keuschheit gethan? Oder sonst einer andern Frauen oder Jungfrauen/als dieser **N.** so allhier gegenwärtig ist/die Ehe versprochen? oder seyd ihr zu dieser Versprechung gezwungen?

N. *Avés vous fait voeu de continence? Ou donné la foy de mariage à quelque autre femme, ou fille, qu' à **N.** icy presente? Ou avés vous esté forcés à ce faire?*

Idem postea quærat à sponsa.

Dein à sponso quærat sequentia.

N. Ihr verheisset bey der Treu/ die ihr Gott schuldig seyt/ diese gegenwärtige **N.** zur nechster gebürlicher Zeit für euer eheliches Gemahl anzunehmen/und/dasern es Gott und unser **H.** Catholische Kirch zulasset/dasern nemlich keine Hindernus gefunden wird / zur Kirchen zu führen/ und alsdann mit ihr verehelichet zu werden?

N. *Vous promettés par la foy, que vous devés*

vés à Dieu, que vous prendrés N. pour femme épouse, si Dieu & la Sainte Eglise Catholique le permettent & y consentent?

Idem proponat, & interroget sponfam:

Et si uterque annuat: parochus illorum promissionem confirmat dicens:

Et ego hæc sponsalia, seu hanc vestram promissionem mutuam, autoritate, quâ fungor, confirmo, in nomine Patris, & Filii **H.** & Spiritûs sancti. Amen.

Celebratis sponsalibus fiant denuntiationes in Ecclesia præscriptæ.

§ 5.

De denuntiationibus seu proclamationibus matrimonialibus.

ANtequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium parochis tribus festivis diebus continuis in Ecclesia inter missarum solennia, vel saltem eo tempore, quo populus frequens convenit, publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, vel quodvis aliud impedimentum canonicum inter eos esse, illud quamprimùm denuntiet: has autem denuntiationes parochus non aggrediatur, nisi priùs de utriusque consensu libero sibi constet: Quod si canonicum aliquod impedimentum opponatur, parochus non progredietur ulterius, sed totum negotium ad officialem seu judicem Archi-Episcopalis curiæ, cujus est de impedimentis hujusmodi cognoscere, remittet.

Cum etiam exactis visitationum, & aliàs sæpè propositum seu quæsitum fuisse noverimus: Si sponsa aut sponsus, in aliqua parochia diu fuisset commoratus, postea tamen & non ita pridem domicilium transtulisset ad parochiam aliam, in qua parochia sit proclamandus? Atque ad hoc quæsitum è Concil. Treviren. Provinc. sub Balduino Archi-Episc. fel. mem. nostro Prædecessore, Anno 1310. habito cap. 81.

fit responsum, tunc præcipuè *si noviter domicilium transtulerit &c.* in utraque parochia proclamandum esse. Visum hîc nobis fuit, ad ulteriorem quæstionem aut differentiam tollendam, illa formalia (*si noviter transtulerit*) declarare : videlicet *noviter* ita intelligendum esse, si infra *sex menses* de parochia relicta transmigrârint. In quo casu ille qui posteriorem parochiam, quamvis novissimè, inhabitare cœpit, dimissorialibus à priore parochio ad matrimonium contrahendum, non indiget, sed solùm testimonium non obstantis impedimenti adferet. Parochus enim à quo talis sponsus cum animo alibi, saltem per annum, aut anni majorem partem habitandi recessit, jurisdictionem pastorem in eum ultrà non habet : siquidem ad illa verba Concilii Trident. *ter à proprio contrahentium parochio &c.* Sac. Congregatio Cardinal. interpretum responderit : proprium contrahentium parochum illum esse, in cujus parochia contrahentes habitant, quo tempore matrimonium contrahunt ; idcirco necessarium non est ut denuntiationes fiant in parochia in qua diutissimè habitavit sponsus, imò nec aliquando convenit : cum enim aliqui antiquas parochias diu deseruerunt, non censentur amplius, qui ibi sunt pastores, horum contrahentium parochi, nec quantum ad Sacramentum Poenitentiae aut Eucharistiae, nec quantum ad matrimonium, aut alia Sacramenta, igitur nec quò ad denuntiationes, & nonnunquam ibidem notitia eorum interit. Prudens tamen parochus in casu transmigrationis non novissimæ sed antiquæ, si consideratis ejusmodi sponsi aut sponsæ ætate aut aliis circumstantiis, de impedimento aliquo dubitet, exiget testimonium à parochio illius loci à quo hic conjungendus non noviter recessit. Atque ex his dictis patet quid dicendum de famulis & ancillis, quæ modò in uno loco habitant per unum annum aut alterum, modò in altero loco per simile spatium, & sic frequenter mutant, pro quibus aliqui putârunt denuntiationes faciendas esse in loco originis, sed id non est necessarium, possunt enim fieri in loco in quo contrahunt, si ibi fixerint domicilium, & maximè si per majorem anni partem commorati sunt, & animo illic commorandi venerint, sicut enim quantum ad communionem paschalem sunt illius parochiæ, in qua jam degunt, ita & quantum

quantum ad matrimonium & denuntiationes. Si tamen sint minus noti, oportet, ut pastor diligentiam adhibeat, ut testimonia adferant de loco, in quo diutius morati sunt: vel in quo magis possunt esse noti.

Dicit etiam Tridentinum Concilium *tribus continuis diebus festiuis*, quod Augustinus Barbofa Congregationis Consultor in Collectaneis suis super Trident. ad sess. 24. cap. 1. de reformat. n. 18. asserit intelligendum de festis, quæ sibi non succedunt immediatè, allegando Aloys. Riccium in aurea sua praxi ecclesiast. rerum p. 1. resolut. 235. aliòsque DD. datâ ratione, ut per dierum intervalla, denuntiationibus deferendis detur mora: aliàs si tribus diebus paschalibus fierent proclamationes trinæ, intentum aut effectus denuntiationum præcipitantiâ præpediretur. Prout ejusmodi dierum vel saltem unius intervallum statuit Synod. Colon. 1662.

Formula proclamandi sponfos.

Sponsalia contraxerunt honestus adolescens Petrus, honesti Joannis Steinman civis in hac urbe filius legitimus: cum virtuosa virgine Catharina, honesti Jacobi Zimmerman incolæ in pago **N.** filia legitima, qui sponsi in præsentî congregatione denunciantur; ut si quis canonicum impedimentum noverit, quod eorum matrimonio obstet, illud loco competente denuntiet.

Si Viduus proclametur, ejusdem patris nomen non additur: si vidua proclametur, dicitur mariti defuncti nomen, addendo quod sit ejusdem vidua.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§. 1.

Dirimentia impedimenta.

EA vocantur, quæ non tantum illicitum faciunt matrimonium, sed & invalidum, quæ quamvis Parochus è Theologia morali, &